

El latín perenne

SACERDOS

(In quinquagesimo anniversario sacerdotii mei).

Angeli, adeste mihi; mecum gaudete, sodales,
 Laudes atque Deo psallite corde, precor:
 Qui licet indigno mihi iam, dulcedine mira,
 Sacra litare dedit fulgida LUSTRA DECEM.
 Accessi tremulus sitiensque, vocante Magistro;
 Pontificem vidi tendere rite manum;
 Divinam sensi e Caelo adventare Columbam,
 Purpureumque meo sistere fronte pedem;
 Magnificis implens donis me Spiritus unxit,
 Misit et ad miseros mystica ferre nova;
 Sceptra meis manibus tradens, animisque regundis
 Constituens, iussit pandere in astra viam;
 Vincula solvendi, noxas vel forte ligandi
 Copiae et arbitrio fecit inesse meo;
 Pro grege sancto excelsa Dei penetrabo Sacerdos,
 Praesentans hominum munera, vota, preces;
 Et me praeconem Verbi vitaeque Magistrum
 Contulit et populis esse perenne iubar;
 Sal terrae possum condire alimenta piorum,
 Et facere ut perstet libera verme caro.
 Consumptos fame alam Carne et Sanguine Christi,
 Ut sapiant Christum, Christi et amore flagrent.
 Iam miser accedit: saturum dimittere laetor;
 Stillabo tristis pectore suave melos.

 Haec in me sensi dum Spiritus unctio Sancti
 Diffusa est manibus visceribusque meis.
 Millia natorum genui iam, munere Christi
 Coelica queis valui participare bona,
 Cum quibus et potero Regni lustrare vireta
 Aeterni, Mystae Matris et ore frui.
 Ergo vos merito mihi nunc gratamini, honoris
 Qui celebros summi, fulgida LUSTRA DECEM...

DANIEL RESTREPO S. I.